

Sanctus Augustinus, in sermone II. feria II. pentecostes: « Anima, inquit, omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat: omnibus simul adest membris, ut vivant, vitam dat omnibus et officia singulis. Sic est Ecclesia Dei. In aliis sanctis facit miracula, in aliis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem, in aliis sanctis custodit pudicitiam conjugalem, in aliis hoc, in aliis illud: singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Quod autem anima corporis hominis, hoc est Spiritus sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia; hoc agit Spiritus sanctus in tota Ecclesia, quod agit Ecclesia in omnibus membris corporis. » Adam e limo terræ a Deo efformatus, hominis quidem speciem habebat, sed antequam inspiraretur ei spiraculum vitæ nec movere se, nec loqui, nec aliud quicquam agere poterat, postea vero et locutus est, et ambulavit, et omnis generis functiones peregit. Verum quia peccatum secundum animam se destruxit nova instauratione indiguit. Unde Divus Cyrillus Jerosolymitanus, cateches. XVII. *Sufflatio Dei*, inquit, *cum obscurata esset per peccatum nova indigebat inspiratione*. Itaque per adventum Spiritus sancti corpus Ecclesiæ prius quasi terreum et sensu destitutum; vivere et in membris suis varias undique operationes edere cœpit. « Respice, inquit Cyrillus, cujuslibet nationis episcopos, sacerdotes, diaconos, monachos, virgines, et reliquos laicos, et respice magnum hunc præseculum et gratiarum parochum seu exhibitorum, quomodo in universo mundo aliis castitatem, aliis virginitatem, aliis studium paupertatis, aliis vim repellendi adversarios spiritus tribuat; et quemadmodum sol uno radio progressu illuminat omnia, ita Spiritus sanctus eos, qui habent oculos, illustrat. » Id ipsum Sanctus Chrysostomus, homilia XIII. in Genesim super id: Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, alio simili declarat: « Formatum corpus hoc juxta præceptum Domini, quasi instrumentum erat, quod egebat aliquo se movente, imo sicut lyra, quæ opus habet aliquo, quo possit arte et scientia sua per membra sua, quasi per fistulas convenientem illi melodiam domino repræsentare. » Hujusmodi lyra et Ecclesia, lyricen vero Spiritus sanctus, qui mutam lyram illam fecit resonare; et omnis generis cantilenas Deo gratas canere. Domus erat Ecclesia, a structore quidem Christo affabre constructa, egebat tamen adhuc insigni artifice, qui eam exornaret, dealbaret, depingeret, fenestris, fornacibus, et variis utensilibus impleret atque instrueret, et hic est Spiritus sanctus, de quo Ecclesia canit in res-

ponsorio, feria VI. post pentecosten: *Omnium est artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens*.

V. Ut pauperes, afflictos et angustiatos, quorum ingens numerus in Ecclesia futurus erat, consolaretur et protegeret, ne in suis afflictionibus animum desponderent. Aspera quæque apostolis suis ferenda Deus prædixerat Joannis XV. *Absque synagogis facient vos, etc.* docuerat, et aliis justis per varias tribulationes intrandum esse in regnum cœlorum, commendarat paupertatem et patientiam amicis suis. *Adversis enim probatur amor*, inquit Chrysostomus, homil. VI. de sancta feria passionis, *affectio pensatur periculis, penis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur*. Ad hæc autem superanda necessarius erat aliquis consolator, qui est Spiritus sanctus, propterea ab Ecclesia in hymno appellatur *Pater pauperum, et consolator optimus*. Stannum alia metalla defendit ab igne, ne urantur, concrementur, teste S. Hieronymo, in Zachariam, cap. IV. ita Spiritus sanctus sua consolatione tuetur afflictos, ne animo cadat. Quem imprimis experti sunt apostoli, e quibus Paulus, II. Cor. I. ait: *Sicut abundant passionibus Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra*. Nimirum sicut angelus Domini descendit in fornacem, ubi erant tres pueri, et fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem; ita Spiritus sanctus descendit ad apostolos, ut eos in variis et continuis tribulationibus positos, et in prædicando evangelio desudantes, suavissimo suo afflatu subinde refrigeraret. Neque vero illi dumtaxat, sed et alii pauperes et afflictos, qui vel propter fidem spoliandi erant bonis suis, vel ob amorem Christi sponte electuri statum paupertatis, vel ob varios casus in eam devolvendi, ingenti plane numero, indiget hoc refrigerio; quod abunde ipsis quoque exhibuit Spiritus sanctus. Unde enim putatis tot ubique locorum inter Christianos domus pauperum, xenodochia, nosocomia, orphanotrophia, leprosoria et similia hospitalia (quorum ante adventum Spiritus sancti nulla fere mentio fit) nisi a Spiritu sancto, qui fidelium mentes ad eorum fundationes et dotationes faciendas excitavit? Hanc enim ob causam utique passim et ubique fere domos illas Spiritui sancto velut præsi ad patrono dicatas observamus. Hic namque est, qui initio statim Ecclesiæ inspiravit apostolis, ut a ditioribus Christianis exigerent collectas seu eleemosynas spontaneas singulis dominicis (quia et in dominica die Spiritus sanctus missus fuit) et distribuere in pauperes, qui erant Jerosolymis præsertim, exuti bonis suis, uti patet ex apostolo, I. Cor. XVI, vers. 1. ad Galatas II. vers. X. Inspiravit primis Chris-

tianis divitibus, ut venditis suis fundis, pretium apostolis traderent pro communibus Ecclesiæ necessitatibus et alendis pauperibus, ut habetur Actorum IV. Quia in re eum fraudem admisissent Ananias et Sapphira, increpans eos Petrus, dixit Ananias imprimis: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Postea ejus conjugi: *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Actorum V.* Utrobique audimus defraudatione illa offensum esse Spiritum sanctum. Ecce vero, nisi quia ipse est pater pauperum, et protector eorum erat, in quorum sustentationem deponenda erat eleemosyna illa, per votum eis addicta? Inspiravit piis et simul opulentis Christianis, ut passim fundarent, extruerent et dotarent xenodochia, et hujusmodi pauperum domicilia per universum christianum orbem innumera, quibus sublevarentur miseræ pauperum, senum, orphanorum, fractorum, ægrorum, leprosororum, peregrinorum, qui prius sub gentilismo erant desolati, despecti, neglecti. Hujusmodi fundatores hospitalium domorum erant S. Chrysostomus, S. Basilius, S. Gregorius Magnus, Pammachius, apud S. Hieronymum, epistol. XXVI. Zoticus Constantinopoli, apud Baronium, anno 330. Pelagius papa II. S. Adelhardus, S. Ansbertus, S. Editha, S. Gualterus aliique.

His igitur expensis non satis aperte videmus venisse Spiritum sanctum, ut vitam haberent homines, qui ante adventum ejus velut mortui jacebant, et ad interitum tendebant? Hunc itaque vitam nostræ inspiratorem laudemus et veneremur.

CONCIO IV.

LEX EVANGELICA QUAM SIT SALUTARIS, ET QUOMODO SERVANDA.

Columna ignis et nubis fuit typus legis evangelicæ.

- I. Quia lumen accendit, et qua eundem docet. —
- II. Quia ad recte agendum etiam stimulat. —
- III. Protegit ab hostibus, tuetur in tentationibus. —
- IV. Demonstrat patriam cœlestem, eoque ducit.

THEMA.

Vadit ante eas, et oves illum sequuntur. Joan. X.

Magnum profecte et stupendum donum ac beneficium contulit Hebræis Deus, quando per desertum ad promissam terram peregrinantibus misit columnam ignis, quæ doceret ac præcederet eos toto illo itinere. Plurima enim bona contulit eis columna illa: viam ipsis monstravit, noctu eos illuminavit simul et calefecit, protexit ab inimicis, ac denique induxit in terram lacte et melle manantem. Verum longe majus non immerito asserimus beneficium legis di-

vinæ, prolongatæ per hos dies ab apostolis in monte Sion; ut quæ nos ad instar illius columnæ igneæ, per hujus nostræ peregrinationis vias ducit, et inducit non in terram lacte et melle manantem, qualis erat Palestina, sed in terram viventium, in cœlestem beatitudinem: in ipsa etiam peregrinatione tanto majora confert bona, quanto præstantior est in veteri lege nova. Quare de ea merito intelligimus quod Proverbiorum IV. legimus, quasi a Deo nobis dictum ac promissum: *Donum bonum tribuam vobis: legem meam ne derelinquatis*. Per hanc enim contulit nobis, ut sine errore et difficultate viam salutis ambulare possemus. Unde: *Pentecoste dedicatio legis est*, ait S. Hieronymus, in epistola ad Fabiolam: præfigurata in pentecoste Judæorum, qua et ipsis lex in monte Sinai promulgata fuit. Porro columna illam Hebræorum ducem fuisse legis nostræ luculentum typum, ex dictis intelligimus, quia ut illa Hebræos in terram optimam, ita nos lex nostra in cœlum ducit, ut proinde de ea, dicere possimus, quod in hodierno evangelio Dominus (de pastore ait: *Vadit ante oves, et oves illum sequuntur*). Hujus ergo ductoris beneficia, et qui eum sequi nos oporteat, nunc videamus.

I. Columna ignis per noctem Hebræos illuminavit, et per diem in specie nobis viam ostendit. Idem nobis præstat lex evangelica, et suo modo etiam leges aliæ tam civiles, quam ecclesiasticæ. Lumen enim accedunt nobis, et docent qua eundem sit. Hinc in specie ignis Spiritus sanctus illapsus est in corda primorum Christianorum, inscribens in illis legem suam; ideoque *lux et lucerna* appellatur lex in sacris litteris, uti Proverbiorum VI. *Mandatum lucerna est et lex lux*: et Psalmo XVIII. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Lucerna, quia ut ait Sanctus Ambrosius in Psalmo CXVIII. versu CV. *Nobis in hac mundi nocte præluet, ne sicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus vestigiis, et viam veram invenire nequeamus*: lux quia per diem ambulantibus viam virtutis præmonstrat. Lucerna noctu prælata et lux diurna foveas, laqueos et lapides, quibus mergi, capi et impingere possemus, ostendit: ita et lex. Unde Paulus ad Romanos VII. ait: *Peccatum non cognovi nisi per legem. Concupiscentiam nesciebam (esse peccatum) nisi lex diceret: Non concupisces*. Hinc qui legibus carent vel non utuntur, passim gravissimè labuntur et impingunt in varia peccata, vivuntque velut bestie in omni turpitudine, uti Brasili, qui se invicem, et imprimis advenas capiunt, maculant, devorant, velut immanes ferae, quia uti in sua lingua carent tribus litteris F, L, R, ita carent fide, lege, rege. Quare verissime Plato dixit,

libro IV. de legibus : « Necessè esse hominibus leges ponere, ut secundum eas vivant : alioquin nihil a feris discrepent. Causam esse, quod nullius hominis ingenium ita natura institutum est, ut quæ ad publicum humanæ vitæ commodum conferunt, sufficienter cognoscat, ut optimum id, quod novit, semper agere possit ac velit. » Rursum ob eandem causam Proverbiorum VII. comparatur lex pupillæ oculi : *Fili serva mandata mea et vives, et legem meam quasi pupillam oculi tui.* Primo, quia sicut pupilla oculi, quæ est parvus quidam sol, hominis gressus dirigit, sine quo nihil recte fieret : secundo, quia ut in pupilla alterius videt unus quasi in speculo suam imaginem, ita et in legibus videt homo seipsum. Unde Sanctus Gregorius, homilia XVII. in evangelio comparat præcepta speculis mulierum, quibus ornabatur labrum æneum, ut in eis sacerdotes tabernaculum ingressuri semetipsos contemplerentur ; quo nimirum maculas in hostiarum immolatione contractas cernerent et abstergerent, Exodi XXX. Sic enim quasi ex reddita imagine suos vultus componunt animæ, se in præceptis inspicientes. Et sicut : *Augurium*, inquit Plinius, libro XXVIII. capite VI. *ex ipso homine est non timendi mortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddunt*, ita quamdiu homo in præceptis seipsum contemplatur, tamdiu spes est de ejus salute : actum vero erit, ubi legem spreverit.

II. Columna illa, non solum demonstravit viam, sed etiam ad eam capessendam Hebræos provocavit et incitavit, dum se movendo, quando pergendum erat, præcedebat : et quando quiescendum, sistebat. Lex etiam homines, non solum qua eundum sit, illuminat, sed ad eundum etiam stimulat et allicit partim præmii spe, partim pœnæ metu. Hominis intellectus suo indiget umine, nec tamen ideo statim sequetur eum voluntas, nisi stimuletur et alliciatur. Itaque lex non solum illustrat intellectum, sed impellit etiam voluntatem, suaviter tamen et blande, ut sequatur intellectum. Ob hanc causam appellatur *alligatura salutis et vincula*, quasi medicorum, quibus alligatur homo velut æger, dum curatur, uritur aut secatur ; ne sibi et aliis noceat, sed ut sanitatem recuperet ac conservet. Ita enim Ecclesiastici VI. dicitur : *Injice pedem in compedes ejus, et in torques illius collum tuum : et mox : Decor enim vitæ est in illa, et vincula ejus alligatura salutaris.* Quemadmodum enim saucio emplastra, phrenetico ligamina, infanti in cunis posito fasciæ et vincula saluti sunt : saucio ut curetur, phrenetico ne sibi et aliis nocementum afferat, infanti ne e cunis excidat : ita lex homini libero, præsertim passionibus

obnoxio, salutaria injicit vincula ; ne sibi et aliis pernecem inferat. Unde Philo, libro de Josepho dixit, legem esse *medicum civitatis*. Rursum Ecclesiastici XXV. appellatur *lex vitæ*. *Dedit illi legem vitæ et disciplinæ*, quia dat vitam animæ, sicut anima corpori, unde etiam animæ assimilatur Proverbiorum XIX. *Qui custodit mandatum, custodit animam suam.* Ut enim anima vegetat hominem, et impellit ad actiones vitales ; ita lex vivificat hominem, et inducit ad honestatem morum. Anima discedente, perit homo lege subblata vel contempta, perit animus, perit et respublica. Unde Plato dixit : *Lex est liberi hominis anima* : Demosthenes : *Civitatis animam esse leges* : denique, Christus ipse : *Hoc fac et vives*, inquit, hoc est, serva legem charitatis.

III. Columna illa protexit Judæos non modo ab æstu per diem, et a frigore per noctem, sed etiam ad hostibus Ægyptiis, interponens se mediam inter ipsos a tergo insequentis, et Hebræos præcedentes : *Erat nubes tenebrosa, et illuminans noctem*, ait Moyses, Exodi XIV. tenebrosa versus Ægyptios, illuminans versus Hebræos, seu ut Chaldæus exponit : *Erat nubes, et obscuritas Ægyptiis, Israel autem erat lux tota nocte.* Denique, Psalmo CIV. legitur : *Expandit nubem in protectionem eorum.* Similiter et lex protegit ab hostibus, et tuetur in tentationibus. Civitates et respublicas legibus defendi deprehenderunt etiam gentiles, et quibus Heraclitus dicebat : *Magis pugnandum pro legibus, quam pro mœnibus ; sine mœnibus etiam civitas stare potest, uti Sparta stetit ; sine legibus non potest.* Defendi etiam lex ab hostibus intestinis et civium injuriis, adeoque pacem in republica facit et conservat uti indicant cives Jerosolymitani, dum scribunt ad Hebræos, qui erant in Ægypto : *Adaperiat (Dominus) cor vestrum lege sua, et in præceptis suis et faciat pacem*, II. Macchabæorum I. Nec mirum : *Finis enim legis est dilectio.* Qui diligit, neminem lædit : pacem igitur offert. Denique, etiam protegit ab æstu tentationum, quod ex Psalmo XXXVI. discimus, ubi dicitur : *Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus ; ab eo videlicet, qui insidiatur calcaneo ejus.* Qui nudis incedit pedibus, facile læditur, præsertim si inter serpentes et venenatas similes bestiolas graditur, non ita qui munitus calceamentis. Calceus est lex, præsertim evangelica, ligans quidem pedem, (uade calcei olim caligæ dicti, ut patet ex Gen. XIV. vers. XXIII. et Act. XII. vers. VIII. quia callum vel calcem ligant, quemadmodum et lex a ligando (quia homines ligat) interim tamen muniens contra offendicula. Unde monet apostolus, ad Ephes. VI. ut simus : *Calceati pedes in præparatione evangelii pacis, q. d. calcei vestri sint evangelium*

pacis, seu lex evangelica semper in conspectu et memoria vestra : « Uti serpens, inquit D. Cyprianus, apud Cornelium, ibid. a nobis calcatus obteratur, ne vi armatos pedes possit mordere. » Plenius adhuc S. Gaudentius, tract. V. Exodi eum locum explicans : « Sicut calceamenta terrestria, inquit, pedum munimina sunt, et vel asperitati frigoris, vel serpentum morsui, vel spinarum resistant aculeis : ita legis divinæ præcepta, quibus gressus nostrorum mentium munire præcipimur, repugnant, et serpenti diabolo, et asperrimo aquiloni gentilium et hæreticorum undique compungentium spinis ac tribulis. » Sane Christus Dominus calceatus lege v. t. contrivit caput serpentis illius tentatoris, oggerendo ei : *Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum.* *Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis et illi servies*, Matthæi IV. Idem non difficile efficiemus nos, si legem evangelicam in tentationibus nostris, semper ad manum et in mente habuerimus ; ostendit enim nobis quid sit malum et cavendum.

IV. Columna illa introduxit Hebræos in terram promissionis, lacte et melle manantem. Idem præstat nobis lex evangelica ; demonstrat enim nobis portum cœlestis patriæ, et si ejus ductum sequamur, eo nos inducit. Audiamus sapientem vel potius ipsum Deum per os ejus loquentem Proverbiorum III. vers. 1. *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat : longitudinem enim dierum et annos vitæ, et pacem apponent tibi.* Jansenius et Baynus : *Longitudinem dierum ad præsentem vitam referunt, annos vero vitæ (Hebr. vitarum) et pacem, quæ Hebræis significat omne bonum, ad alteram.* Quod præsentis vitæ felicitatem et tranquillitatem homini lex observata soleat apponere, vel gentiles intellexere : « Quemadmodum inter navigantes (inquit Dion. orat. LXXIV. de lege), qui faces turrium observant, ii maxime salvi evadent portusque inveniant ; ita qui secundum legem vivunt, tutissime per viam transeunt, commodamque sedem nanciscuntur. » At nobis Christianis præter hoc promissa est etiam vita æterna, legem custodientibus : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Verum sicut columna illa nihil Hebræis profuisset, nisi ejus ductum secuti fuissent : ita pariter et lex nihil nobis prodest, nisi observetur. Propterea in hodierno evangelio Dominus, cum pastoris officium tetigisset verbis illis : *Vadit ante eas, mox addit : Et oves illum sequuntur.* Non sanat ægrum medicina, nisi sumatur : nec ornat hominem vestis, nisi induatur, ita neque lex, nisi servetur : « Aureum vestimentum, inquit D. Chrysostomus, homilia V. ad pop. pulchram quidem est, etiam cum videtur : multo pulchrius autem nobis videbitur

nostro circumpositum corpori : sic et Dei mandata pulchra quidem sunt, etiam cum laudantur : multo autem pulchriora cum explentur et apparent. » Observanda porro est legitime, ut requirit apostolus 1. ad Timotheum 1. *Bona est lex, si quis ea legitime utatur.* Loquitur ad litteram quidem de lege veteri qua sit utendum vult ut ad Christum ducat hominem ; id tamen etiam de nova et omni alia lege intelligi potest.

Primo, itaque observanda est amore Dei et virtutis, non timore pœnæ, et hoc sensu etiam explicat verba illa apostoli S. Chrysostomus, homil. H. in 1. ad Timoth. « Alio item modo, inquit legitime utimur lege, cum scilicet magna eam intentione servamus. Quid est magna intentione ? Quemadmodum, inquit, fræno legitime utitur, non is equus, qui lascivit, neque qui mordet, sed qui ullo pulchre agitur : ita et is lege utitur legitime, non qui litteræ necessitate sobrie ac juste vivere cogitur. Quis autem illa legitime utitur ? Qui hoc novit, quod ipsa non indiget. Nam qui ad id virtutum culmen evasit, ut non legis metu recte factis insistat, sed virtutis tantum gratia, hic ea legitime atque secure utitur : » et paulo post : « Quicumque igitur servorum more a malis abstinent, hi legis destinatione fraudantur : idecirco enim ea imposita est, ut puniat transgressores. » Hanc ob causam quando præceptum aliquod nobis commendavit, mercedem potius observatoribus, quam pœnam transgressoribus adjecit ; ut quando disseruit de obligatione sumendi corporis et sanguinis sui, vitam quidem digne sumentibus proposuit, non vero mortem indigne manducaturis (quod tamen apostolus postea fecit) minatus est. Eadem ni fallor de causa, cœlum quidem et luminaria cœlestia conspicua nobis esse voluit : infernum autem minime ; ut potius amore beatitudinis, quam metu gehennæ nobis bene vivendum, et mandata ejus servanda esse intelligeremus. Servum se non filium ostendit esse Cain, quando patrato parricidio, et intellecto suo supplicio, de hoc magis doluit, quam de peccato suo et divino judicio, cum dixit : *Omnis, qui invenerit me, occidet me*, Genesis IV. *Angustæ mentis* (homo inquit S. Ambrosius, lib. II. de Abel et Cain, cap. IX. *præsentem mortem veretur, perpetuum negligit et divinum judicium non reformidat, interitum solum corporis deprecatur.*

Secundum ad intentionem legislatoris, quod etiam esse legem observare legitime, scribit loco citato Sanctus Chrysostomus : *Sunt enim, inquit, qui hac minime utantur legitime ; puta cum eam verbis exponunt, operibusque transgredi non verentur.* Qualis esset, si quis ut verba sonant, vellet exponere eam legem : *Non alligabit os bovi tri-*

stanti; vel eam: *Si quis te percusserit in unam maxillam, porrige ei et alteram, etc.* rursus non legitime legem observat, qui coram hominibus simulat se legis studiosum, at secreto dum a nemine videtur, eam prævaricatur. De hoc Ecclesiastici XXXII. dicitur: *Qui quærit legem, replebitur ab ea et qui insidiosè (Gr. hypoeritice) agit, scandalizabitur in ea, quasi dicat: Fiet ei lex lapis offensionis, et petra scandali ad damnationem, quæ posita est, ut esset ipsi scala cæli.* Denique, beatus Petrus Damiani, libro II. epist. V. alium modum illegitimum taxat, cum ita scribit: « Secundum propriam quippe legem Deum colore cernitur, qui specie tenus quidem ejus mandatis obtemperat; sed in iis, quæ faciunt ad propriæ utilitatis commodum principaliter spectat, et dum exteriorem Christianis exhibet, regulam, sub honestatis quidem colore se palliat: sed ad hoc intrinsecus, ut in hac vita prosperetur, anhelat. Tunc autem Deum secundum ejus legem ac cæremonias colimus, si quidquid eum velle cognoscimus, neglectis omnino, quæ nostra sunt, votis omnibus adimplemus.

Tertio, constanter, ut parati simus etiam usque ad mortem pro Dei lege servanda decertare, quo modo Susanna dixit: *Melius est mihi incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini,* Daniel XIII. et primus e septem fratribus Macchabæis: *Parati sumus mori magis, quam patrias Dei leges prævaricari,* II. Macchabæorum VII. Nihil juvisset Hebræos sequi columnam ignis ad tempus aliquod, nisi ad ingressum usque Chananeæ cum ea perrexissent. Quid enim sine ea egissent in transitu Jordanis, summe periculoso? Ut ergo columna illa non deseruit illos usque ad introitum terræ promissæ, ita nec deserta ab illis fuit (ut colligitur ex Deuteronomio XXXI. versu XV.) Usque ad mortem igitur legi Dei adhærendum est, imo tunc vel maxime, cum mortis yadam omnium periculosissimum transmeandum. Lyeurgus Lacedæmonius cum suis civibus leges præscripsisset, juramento eos adegit, ut eas observarent, quousque oraculum Delphicum consuleret de confirmandis illis legibus. Delphos igitur abiit; verum ne cives juramento absolverentur, et legibus illis renuntiarent, redire in patriam noluit, Plutarchus in Lyeurgo. Non absimili modo Christus dedit nobis legem, et distribuit talenta sua, jussitque negotiari cum iis, donec a perfectione sua, in cælum suscepta, reverteretur: *Negotiamini dum venio,* inquit Luc. XIX. non veniet autem ante mortem nostram; quia voluit ut constanter usque ad vitæ finem ei studeremus: *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit,* inquit Matth. XXIV.

Quarto, integre, nec una quidem excepta, quia scriptum est: *Tota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant:* et rursus: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum,* Matthæi V. In cithara vel organo si vel una horda aut fistula dissonet, totam harmoniam perdit; ita vel unica lex præterita totum virtutum concentum turbat. « Ut in cithara (ait Chrysostomus, homilia XXXVI. de virtutibus et vitiis) non satis est in uno tantum nervo cantum efficere, sed universi percipiendi sunt numero et decenter, sic et unanimi virtute non satis est nobis ad salutem lex una, sed universæ summa cum diligentia conservandæ sunt. » Clara est sententia Sancti Jacobi, capite II. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Erraverunt in hoc Pharisæi, qui putabant, si saltem major pars legum servaretur, sufficere; et rabbini aliqui putantes eos, qui plus honorum operum quam malorum haberent, salvandos: item Christiani aliqui tempore Sancti Augustini, enchirid. LXXV. qui putabant se salvos fore per elemosynam, licet præcepta violarent, ob dictum Christi, Lucæ XI. *Date elemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Contra sicut bonum est ex integra causa, ita justus est non nisi est integra legum omnium observatio.

Est ergo talis omnium reus. Primo, quia una transgressione jam legem decalogi infregit, quæ jubet omnia servari. Lex decalogi est quasi una corona aurea, cui si unum radium demas, jam violata est. Tunica inconsutilis Christi, dissuta ad nihilum valisset, quia tota dissoluta fuisset.

Secundo, quia charitatem extinguit, unde tota lex pendet. Hinc Sanctus Gregorius, homil. XXVII. in evangelium ait: *Omnia præcepta unum sunt in radice charitatis.* Sic mergitur, qui uno palmo ab aqua superatur æque ac qui decem cubitis. Jam vero per unum etiam peccatum contemnitur legislator. Unde subdit Jacobus: *Qui enim dixit: Non machaberis, dixit etiam: Non occides.*

Tertio, quia perdit Dei amicitiam, gratiam vitam spiritualement, incurritque mortem animæ et gehennæ, æque ac per multa peccata. Sic qui toto corpore armatus, excepta una parte (uti Achab inter pulmonem et stomachum, III. Reg. II.) si vulneratur ubi lethaliter, æque perit ac si undique nudatus fuisset: ita qui in uno membro lethalem plagam accepit, perinde est ac si in omnibus accepisset.

Quarto, quia æque damnabitur. Qui unam portam aperit hosti, æquo prodit civitatem, ac qui omne aperit. Diligentissime igitur cavendum, ne vel unum præceptum violes. Exemplum

scribitur in scala cæli et spec. ex dist. IX. ex. CXLIX. a Valerio Veneto, in prato florido, part. 1. l. 1. cap. 1, ex. 1, et p. II. l. IV. e. CII. de devota quadam domina, quæ assidue precabatur Deum, ut ei indicaret, qua in re potissimum femina ipsi displicerent. Rapta igitur in oratione, e ducta ad videndas inferni pœnas, vidit ibi comitissam sibi olim notam, constitutam in gravissimis pœnis, a dæmonibus cruciatam. Dum hæc in pœnis volveretur, venit ad illam dominam, clamans miserabiliter: « Væ mihi misere, ego fui casta corpore, fui semper abstinent, feci multas eleemosynas, et alia charitatis et pietatis christianæ opera: et solummodo propter ornatum mei corporis nimium et studium me comendi et ornandi fui juste condemnata, siquidem eo ornato scandaloso multis fui causa et ruina peccati, provocando eos ad concupiscentiam mei, et scandalizando etiam servos Dei sanctos et castos. Tunc altera: Ergo hoc est quod maxime Deo in feminis displicet? Ita est, inquit illa, quia vanus ille ornatus inflammavit homines ad pessima desideria et omnem Dei offensam. Mox autem a duobus dæmonibus abrepta ferreis uncis, et in caldarum plumbo liquefactum injecta et immersa est: altera emendata. »

CONCIO V.

QUI NON INTRENT PER OSTIUM AD HONORES.

I. Quidam intrant per portam potentie. — II. Alii per portam cognitionis. — III. Alii per portam nummariam. — IV. Alii per ostium virtutis.

THEMA.

Qui non intrat per ostium in civile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Joan. X.

Notum est quod Livius et ex illo S. Augustinus, l. V. de civit. scribit, Romæ templum fuisse honori positum, contiguum templo Virtutis, ita structum, ut non pateret ad id aditus, nisi per templum Virtutis. Qua re indicatum, ad honores non patere aliam viam nisi viam virtutis. Hoc est meo judicio, quod in hod. evang. Christus insinuat, cum ait: *Qui non intrat per ostium, etc.* Multi enim ad prælaturas conantur intrare et intrant, sed non per ostium virtutis, irrepunt per fenestras et foramina velut fures et latrones; uti mox videbimus.

I. Intrant aliqui per portam potentie. Et qui illi? Primo, qui per potentiam aut minas comparant sibi honores. Beneficia, dignitates. Hæc porta intrare ad regnum conatus fuit Absalon, quando coacto exercitu patrem in exilium egit atque oppugnavit. Sed quo eventu, scimus; capillis enim quercui implexus hæsit: mulo,

cui insederat, subter se transeunte, tum a Joab, a quo prius patri reconciliatus fuerat, tribus lanceis transfixus, ac postremum lapidum congerie obrutus et tumulatus est, II. Regum XVIII. Raro meliorem eventum sortiuntur, qui per vim promoventur ad honores vel seipsos intrudunt. Omnium enim si non lanceis, certe linguis confodiuntur et lapidantur. Augustus Cæsar vigesimo ætatis anno consulatum invasit, admotis hostilibus ad urbem legionibus, missisque legatis, qui eum sibi deposcerent, cumque senatus cunctaretur, centurio, princeps legationis rejecto sagulo, ostendens gladii capulum, dixit: *Hic faciet, si vos non feceritis.* Is licet postea imperator factus diu regnavit, moriens tamen a quadraginta juvenibus abripi se conquestus est, Suetonius, in Augusto, qui addit id præsagium fuisse, quod a totidem prætorianis militibus elatus sit, sed forsam indicabat a tot dæmonibus abreptum esse in orcum. Bajazetes Turcarum imperator Sigismundo imperatori querenti de Bulgaria invasione, diem constituit ad jus suum et cum omnes genus armorum comportari jussisset, vocatis legatis: *Vobis vestra,* inquit, *mihi hæc arma Bulgariae provinciam jure optimo, et acquirere et defendere.* Aug. Corozetus, de dict. et fact. memor. Verum et hic quem finem habuerit, scimus, quando a Tamerlane captus in caveam ferream inclusus, et ad spectaculum circumductus, misere periit. Itaque isti, sicut per vim ingrediuntur ad honores et dignitates, ita et per vim communiter ejiuntur. Quemadmodum enim Philisthæi cum armis captam arcam fœderis ad sua traxissent castra, ab illa maximam cladem acceperunt; ita qui armis aut potentia trahunt ad se dignitates et officia, male communiter ab eis accipiuntur; nusquam enim tuti sunt, ubique insidias metuunt; sicut fur in domo ubi furatur.

Secundo, per eandem portam intrant, qui armati precibus ac litteris commendatitiis obtinent dignitates et officia. Adferunt hi litteras, quales sunt picturæ et imagines, sculptæ a chalcographis, quæ ordinarie res pulchriores effingunt, quam reipsa sint. Et fere sunt litteræ Uriæ datæ a Davide, II. Regum XI. quibus mandabatur: *Ponite Uriam ex adverso belli (hoc est in acie belli) ubi prælium est fortissimum, et derelinquite eum, ut percussus intereat.* Putant isti se promoveri ad honores et mittunt ad curas et gravissima salutis pericula, ubi derelicti perurumque pereunt.

II. Alii per portam cognitionis. Quales consanguinei magnatum et potentum. Per hæc portam intravit ad principatum Abimelech, suadens viris Sichem, cognatis suis ratione matris, ut in principem reciperetur; quia: *Os vestrum*